



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina

**Torres, Alfonso de
Ingolstadii, 1604**

De silentio Sacerdotum. §. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

De Silentio Sacerdotum.

§. V.

SUMMARIVM.



QVI moderatur labia sua, prudentissimus, & doctus est, & custodit ab angustiis animam suam. 1. 2. 3. 6. 7. 14.

Qui nescit tacere, similis est urbi sine murorum ambitu, & patet iaculis inimici. 4. 26.

Et est ignorans sui, & aliorum. 28.

Qui autem nouit tacere, nouit & dicere. 15.

Omnis labor hominis in ore eius. 5.

Fortitudo autem eius in silentio, & spe. 8.

Per illud melius vincitur iniquus, quam per verba. 23.

Sit homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. 9.

Silentium est primus discipline actualis ingressus. 10.

In illo virtutes omnes conuiescunt. 16.

In illo esse otiosum, peccatum est. 17.

Vir tacitus, Philosophia filius. 14.

Difficilius tacere, quam loqui. 16.

Audit Deus tacente lingua pias cogitationes, & cordis clamorem. 18. 19.

Iusti enim vita habet linguam suam. 20.

Lingua debet esse menti subdita. 11. 12.

Per eam enim cor euacuatur. 13.

Nihil temere dicendum, maxime coram imperitis. 24.

Neque vnde possit propria aestimatio augeri. 12.

Neque

Neque solum mala non proferenda, sed ne recta quidem inordinate. 21.

Ideo in locutione tria seruanda, vnde quatuor commoda proueniunt. 22.

Sacerdos nugas proferens, blasphemus & sacrilegus est. 25.

Ociosum verbum quid. 26.

Silentij epitheta. 30.

Commendatio. 31.

De miro silentio monachorum Egyptiorum. 32.

Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. 1
Prou. 10.

Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. Prou. 17. 2

Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Prou. 21. 3

Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prou. 25. 4

Omnis labor hominis in ore eius. Eccl. 6. 5

Verba sapientium audiuntur in silentio. Eccl. 9. 6

In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. Eccl. 32. 7

In silentio, & in spe erit fortitudo vestra. Isa. 30. 8

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Iac. 1.

Silentium est primus disciplinæ actualis ingressus. 9

OBSERVA, ne studium lectionis, ac desiderij tui labor 10

labor vana elatione cassetur, vt indicas summum
 ori tuo silentium: hic est enim primus disciplinæ
Eccl. 6. actualis ingressus. Omnis quippe labor hominis
 in ore ipsius. Et, vt omnium seniorum instituta,
 atque sententias intento corde, & quasi muto ore,
 suscipias, ac diligenter in tuo pectore condens, ad
 perficienda ea potius, quam ad docenda, festines.
Cass. Coll. 14. c. 9.

Lingua sit menti subdita.

11 IUGVM sit verbis tuis, & statera, hoc est, humili-
 tas, atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit,
 &c. *Vt sup. c. 3. §. 2. de grauitate, num. 24.*

De eodem: quodq; nihil dicendum, vnde
 possit augeri propria æstimatio.

12 ANTEQVAM verba proferas, bis ad limam veni-
 ant, quam semel ad linguam, &c. Et loquens nihil
 dicas, vnde multum eruditus, multumue religio-
 sus possis putari. *S. Bernard. in Speculo monachorum
 Et vide sup. cap. 8. §. 1. de modestia in familiaribus,
 n. 10.*

Per linguam cor euacuatur.

13 LINGVA, modicum membrum est; sed, nisi ca-
 ueas, maximum malum: tenuis est, & lata, aptissi-
 mum vacuandis cordibus instrumentum. *Idem S.
 Bernard. serm. 17. de triplici custodia, &c.*

Vir tacitus, philosophiæ filius, plurimam
 semper sapientiam possidet.

14 *S. Climacus gradu. 4. de obed.*

Illo

Ille Sacerdos scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere.

S. Gregorius. Moral. l. 30. c. 7.

15

In silentio virtutes conuiuiscunt: difficilius, tacere, quam loqui.

In silentio est virtutum reliquarum otium, &c. Tacere, quam loqui, difficilius. Scio plerosque, qui, cum tacere nesciant, &c. Est fructuosum, & negotiosum silentium. *S. Bernardus de ordine vitæ.*

16

In silentio fui otiosus, quod est maximū peccatum.

Idem S. Bernardus Meditationum. c. 11.

17

Audit Dominus cogitationes pias, etiam si lingua taceat.

FIDELIUM, atque deuotæ mentis clamor affectus est, qui non tantum sermone promitur, sed magna cordis intentione profertur. Clamabat enim populus Iudæorum, murmurans, & non exaudiebatur à Domino: tacebat Moyses, & Dominus ei dicebat: Quid clamas ad me? scilicet, quoniam illas cogitationes audit altissimus, quæ pia intentione deuoluuntur? Additum est, In toto corde meo. ne putares aliud cogitandū, quando clamatur ad Dominum: in sola enim religiosa cogitatione totus debet spiritus occupari, ne mens diuisa effectum nequeat impetrare, quem postulat. *Cassiodor.*

Exo. 14

Psal. 118

super Psal. 118.

k 4

Do

De eodem: ac de cordis clamore.

19 CLAMOR ad Dominum, qui fit ab Oratoribus, si sonitu vocis corporalis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? si autem corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce carnis id opus est, siue cum silentio ad Dominum cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio: quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamat, quando aliunde non cogitatur. *s. August. super Psalm. 118. concione. 29. Vide Rabanum de institutione clericorum, c. 48.*

Iusti vita habet linguam suam.

20 EXAUDI, Domine, iustitiam meam, intende voci deprecationis meæ. Apud Dominum certum est habere iustitiam vocem suam, qui res tacitas intelligentiæ suæ virtute cognoscit. *Idem s. August. super Psal. 16.*

Non solum mala non proferenda, sed ne recta quidem nimie, & inordinate.

21 SIT rector discretus. *Vt sup. cap. 7. §. 1. de doctrina, n. 29.*

Tri

Tria in locutione seruanda, vnde quatuor
commoda proueniunt.

In locutione tria sunt seruanda. Primo, vt tar- 22
dus sis ad loquendum; secundo, circumspēctus;
tertio, breuis, &c. Et ita cautus, & peritus in verbis,
sicut avarus in nummis suis, &c. Et quadruplex ei
bonum proueniet, qui cauebit à peccato vanilo-
quij: quia intellectus eius magis profundabitur,
& sublimabitur; sicut aqua conclusa, quæ nullum
exitum habet, per quem effluat, crescit in altum:
item quod loquetur magis habebitur authenti-
cum, sciant eum cum maturitate loqui, & non le-
uiter effundere sua verba: item singularē gratiam
meretur in cælo: item vitabit peccatum multilo-
quij. *S. Bonau. de processu S. religionis. c. 1. & de perfe-
ctione vitæ. c. 4. S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 29.*

Malus homo melius vincitur silentio,
quam verbis.

MALVM hominem melius potest tacendo Sa- 23
cerdos vincere, quam respondendo: quia malitia
non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo
Dominus tacendo compescere studuit, quos re-
spondendo non compescuit. *S. Chrysost. super Mat-
thæum, c. 7.*

Nihil temere effundendum, maxime co-
ram imperitis.

SI apud imperitos sermo de aliquo præcepto 24
inciderit, maxima ex parte taceto: magni enim

periculi est, statim euomere, quod non concoxeris. Quod si quis dixerit: Te nihil scire, tuq; commotus non fueris, tum scito rem esse inchoatam: nam & oues non fenum afferunt opilionibus, ac demonstrant quantum commederint; sed pastu intra se concocta extra ferunt lanam, & lac. Et tu igitur ne verba celeriter ostendas imperitis; sed opera, quæ concoctionem verborum sequuntur. *Epictetus in Enchiridio. c. 69.*

Sacerdos nugæ proferens, blasphemus & sacrilegus est.

25 **INTER** sæculares nugæ nugæ sunt, in ore Sacerdotum blasphemix. Consecrasti os tuum Evangelio: nugis igitur iam os aperire, illicitum est, assuescere vero nugæ loqui, sacrilegum est. Labia Sacerdotis, ait Propheta, custodiunt scientiam, & ex ore eius requirunt legem. non nugæ, aut fabulas. *S. Bernardus de consider. l. 2.*

Otiosum verbum quid.

26 **OTIOSVM** est verbum, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. *S. Gregor. in Pastor. p. 3. c. 15. S. Basilius in reg. breu. respons. 23* Item est, quod sine necessitate dicitur proferentis, aut utilitate audientis. *S. Bonau. opusculo de perfectione vite, c. 4.*

Qui otiosa verba non reprimat, ad noxia cito transit.

27 *S. Isidorus de Soliloquiis, c. 31. In norma viuendi, c. 6. S. Gregor. in Pastor. p. 3. c. 15. S. Bernard. de ord. vite.*

Loquax

Loquax ignorās est sui ipsius, & aliorum :
 è contra tacitus.

QVI peccata cognoscit, continet linguam su- 28
 am: qui vero loquax est, nondū seipsum, vt oportet, agnuit. Studiosus silentij appropiat Deo, ipsiq; iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo, &c. Loquacitas ignorantiae est certum argumentum, &c. *S. Climacus gradu 11. de loquacitate. S. Greg. Pastor. p. 3. c. 15.*

Loquax, sicut vrbs sine muris, patet iaculis inimici.

QVIA murum silentij non habet, patet inimici 29
 iaculis ciuitas mentis; &, cum se per multa verba extra semetipsam eijcit, apertam se totam aduersario ostendit, quam ille tanto sine labore superat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat: Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *S. Greg. d. p. 3. c. 15. S. Bonau. in Phar. l. 3. c. 3. de multiloq. Pro. 25.*

Silentij epitheta.

TACITVRNITAS in oratione mater est oratio- 30
 nis, captiuitatis reuocatio, ignis amoris diuini obseruatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, laeymarum amica, memorie mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mæroris subministratrix, inimica fiducia, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex,
 secre-

secretus in Deum profectus, occultus ascensus,
s. Climacus gradu XI. de loquacitate.

Silentij commendatio.

- 31 O VALIDVM scutum circumspecte munitio-
 silentium! O fidissimum stabilitatis fundamen-
 tum, quo si quis potuerit stare, lubricum verbi ti-
 mere non possit! Multi enim, etiam stabili corde
 firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis et
 errore sæpe ceciderunt. *s. Ambros. super Psalm. 38.*

De miro Ægyptiorum monachorum si- lentio.

- 32 CVM solemnitates, quas Ægyptij Synaxes vo-
 cant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis
 silentium præbetur, vt cum a in vnum tam innu-
 merosa fratrum multitudo conueniat, præter il-
 lum, qui consurgens in medio Psalmum decantat,
 nullus hominum penitus adesse credatur. Ac præ-
 cipue cum consummatur oratio, in qua non spu-
 tum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis
 intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis ma-
 lis, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspi-
 ria etiam adstantes impeditura promuntur, nulla
 vox absq; Sacerdotis precem concludentis audi-
 tur; nisi forte hæc, quæ per excessum mentis clau-
 stra oris effugerit, quæq; insensibiliter cordi sub-
 repserit, immoderato scilicet, atq; intolerabili spi-
 ritus feruore succensa, dum ea, quæ ignita mens
 in semetipsa non præualet continere, per ineffa-
 bilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui

con-

conclauibus euaporare conatur, &c. *Cassianus l.*
2.c.10.

In vnum tam innumerosa fratrum multitu-
do] Pluris fiet tam stupenda silentij observatio, si
consideretur in illis *Aegypti cœnobiis plusquam quin-*
que millia fratrum intra vnum cœnobium ab vno Ab-
bate regi, vt auctores sunt idem Cassianus l.4. c.1. S. Ba-
silius in reg. fus. interrog. 35. S. Bonau. de reformatione
animæ, l.2.c.23.

De temporalium Contemptu.

§. VI.

SUMMARIUM.

SACERDOS moueri non debet temporalibus
pœnis, quas vulgus formidat, & pati-
tur. 1.

Nec laudibus, aut vituperiis, & quare. 25. 26. 27. 28.

Nec vulgi querelis, quando veram excusationem non
admittit. 24.

Sed potius contemnere debet omnia, qui semel Deum
pragustauerit. 29. 30.

Bona videlicet temporalia, terrena, & vana, & vitam
ipsam. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 30.

Tum etiam propinquos, amicos, & domesticos. 2. 14.
15. 16.

Et aduersa quæq; despiciere, & prospera formidare. 17.

Ignominia eius est, propriis studere diuitiis. 18.

Nudus